



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

18. An etia[m] illis, qui prius fidem alicui virgini de matrimonio dederunt,
& postmodu[m] similen dederu[n]t alteri virgini, copula subsecuta?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41077

SACR. MATRIM. TEMP. PEST. 515
Iusta causa oritur ad priorem obligatio-
nem.

QVÆSTIO XVIII.

An etiam illis, qui prius fidem alicui virgini de
matrimonio dederunt, & postmodum si-
mitem dederunt alteri virgi-
ni, copula conse-
quuta?

Quæstionis explicatio:

PROponuntur hoc loco tacite duæ quæ-
stiones.

Prima, an semper teneatur pastor vni
vel alteri matrimonio interesse, ita vt nul-
lus exoriri possit, quo neutri teneatur, hoc
est, neq; matrimonio, quod vult inire cum
prima virgine, cui simplicem matrimonii
fidem dedit, neque alteri, quod vult inire
cum virgine, quam deflorauit, fide etiam
de matrimonio contrahendo data.

Secunda, casu quo teneatur alteri inter-
esse, vtri magis teneatur interesse, priorinè,
hoc est, cum virgine simplicem fidem ha-
bente, an posteriori, hoc est, cum de-
florata, habente quoque
fidem de matrimo-
nio.

Kk 2

Responsio,

Responsio.

AD primam quæstionem dicimus posse dari casum, quo neutri matrimonio teneatur pastor interesse, ut si sponsalia posteriora & copula fuerint cum consanguinea in primo gradu prioris sponsæ, tunc enim cum priori non poterit contrahiratione affinitatis cum consanguinea consurgens; non etiam cum posteriori, ratione publicæ honestatis, quæ ex prioribus sponfalibus validis orta est.

Ad secundam dicimus, ordinarie tene-ri interesse matrimonio priori: ratio est clara, quia iniuria illata posteriori, non aufert ius suum priori.

Dicimus (*ordinarie*) quia quando virgo deflorata grande damnum pateretur, magnamque honoris iacturam, prior vero leuiter læderetur, teneretur interesse posteriori: Nam prior teneretur modicum illud damnum sustinere, ad vitandum damnum proximi grauissimum.

Dices. Superius dictum est, pastorem debere interesse matrimonio virginis defloratæ, non obstante sacri ordinis seu castitatis voto antea emisso: ergo similiter tenebitur interesse matrimonio posteriori virginis defloratæ, non obstante priori fide data alteri virgini.

R. Non

R. Non esse simile in voto, quia Deus
 (a) non ita exacte promissionem sibi factam <sup>a Sotus in 4.
 dist. 27. q. 2.
 art. 4. dub. 3.</sup>
 impleri petit, sicut homines: non enim
 cum damno & iniuria tertii impleri vult,
 homines autem propter iniuriam alteri il-
 latam iure suo priuari nolunt.

QVÆSTIO XIX.

*An etiam illis, ex quorum matrimonio Pa-
 stor timet probabiliter ma-
 gnum scanda-
 lum?*

Quæstionis explicatio.

Frequenter ex concubinariorum ma-
 trimoniis magna nascuntur inter parē-
 res dissidia, dissoluitur parentum pietas,
 & cognatorum amicitia, vel propter fami-
 liarium disparitatem, vel dissonātiā mo-
 rum, vel propter concubinæ prodigalita-
 tem, infamiam, & similia. Horum occa-
 sione quæritur, quid si tale quid futurum
 parochus probabiliter timeat, tenebiturnè
 huiusmodi matrimoniis præsentiam suam
 exhibere?

Responsio.

Non tenebitur: quia virtus iustitiæ ob-
 ligare nequit ad actū, qui sine peccato
 K k 3 imple-